

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 13

Artikel: Dissertatio epistolica de pretio artis rhetoricae ad virum amicissimum
Autor: Candidus, L.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394641>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DISSERTATIO EPISTOLICA
De
PRETIO ARTIS RHETORICÆ
ad Virum amicissimum
L. CANDIDUM.

Meministi, Optime *Candide*, in nupero Amicorum congressu, post varios, ut fieri solet, mutuo habitos sermones, incidisse nos in materiam de *Eloquentia*, ejus genuinis fontibus, viribusque, quas habet in animos hominum. De laude Ipsius nullum erat, ut nosti, inter amicos sententiarum divor-
tium; de viribus & potestate levis erat dissensus; de fontibus vero, unde hæc *Eloquentia* haurien-
da sit, ut est cum ingeniis humanis comparatum, diversa erant judicia. Plerique multa differebant de præstantia & mira utilitate *Artis Rhetoricæ*, de-
que ejus singulari ad flectendos hominum animos potestate: Hanc effecisse, ut inter antiquos Græcos & Romanos tot excellentes floruerint Orato-
res, quos admirentur hodiernum Viri doctissimi. Ego vero, audita licet ceterorum sententia, alii me sententiæ addictum esse haud obscure significa-
vi, atque contendi, Artem Rhetoricam, prouti tanquam singularis scientia vulgo in Gymnasiis docetur; ad obtinendam veri nominis *Eloquen-
tiam* vel parum vel nihil conferre. Cum vero non solum tibi, sed & aliis, paradoxa videretur hæc

hæc sententia , discedendi vero tempus instaret , petiistis a me , ut uberius paulo mentem meam de hoc argumento aperirem , & pœnæ loco , quæ domi meditatus essem , in chartas conjicerem , ea tamen me spe demulcentes , fore , ut æquissimo examini hanc meam sententiam sitis subjecturi , & si probabilitate quadam sese commendatura esset oratio mea , debitis laudibus me non defraudaturos. Licet vero hæc mea sententia quibusdam paradoxa videri possit , nemini tamen nocebit. Non enim hic agitur de articulis Religionis , in quo argumento , si quis a trita ceteris via recedit , & novam calcat , suspectus est Hæreseos , id est defensoris gravissimi erroris. Hoc solum quæritur , utrum Ars Rhetorica qualis vulgo in Scholis traditur , aliquid conferat ad veri nominis Eloquentiam obtinendam , nec ne. Neque ego is sum , qui hanc artem ex Academijs & Gymnasijs eliminandam putem. Unde non est cur mihi irascantur hujus artis Professores ; per me enim impune hanc artem docebunt , & suis fruentur stipendiis. Quod si amicis displiceat mea sententia , ansam tamen iis dabit , hoc argumentum paulo accuratius excutiendi. De te vero , mi *Candide* , multa mihi in hoc argumento promitto ; nota enim mihi est acerrima tua ingenii vis , & in dijudicandis aliorum opinionibus æquitas. Sed his missis rem ipsam aggredior. Statim vero ab initio sententiam meam expositurus & probaturus , non Rhetoris , sed Philosophi Syllogismis utentis more argumentabor. Ita igitur ratiocinor : Si absque ulla cognitione Artis Rhetoricæ , omnia tamen illa obtineri possunt , quæ ad masculam & genuinam Eloquentiam consequendam requiruntur ;

tur ; sequitur Artem Rhetoricam disciplinam esse,
qua facile carere possimus ; Atqui verum prius.
Eo (a). Cum negaturus non sis Consequentiam
major-

(a) Antequam prælo tradere mea de hoc argumento cogitata in animum induxissim , communicavi , more inter amicos recepto , cum L. Candido hanc epistolam , eo fine , ut non solum sententiam meam pulchre cognosceret , sed & ut eam examini subjiceret , & quæ ab eo notanda essent , cordate significaret : Ita enim futurum existimavi , ut major huic argumento adferatur lux. Transmisit igitur mihi quasdam stricturas , quas , ne series Orationis in hac epistola observata nimis turbetur , textui subjeci , una cum responso meo. Primo igitur loco , huic Syllogismo meo opponit alterum , demonstraturus , eum , si aliquid valeret , simul probaturum , Oratorem etiam artis logicæ cognitione carere posse. Verba sic sonant: *Si absque ulla cognitione logicæ artis , omnia tamen illa obtineri possunt , quæ ad veri falsique cognitionem requiruntur , sequitur artem logicam disciplinam esse , qua facile carere possimus. Atqui verum prius. Eo :*

Ego vero concedo (ut Ciceronis pro Archia paululum mutatis verbis utar) multos homines excellenti ingenio atque virtute fuisse , naturæ habitu prope divino per se ipsos disertos fuisse & illud adjungo sæpius ad laudem eloquentiæ naturam sine peritia artis logicæ multum con-
tulisse ; Simul vero contendo , quom ad naturam eximiam atque illustrem accesserit artis logicæ peritia , tunc illud nescio quid præclarum ac singulare existere. Agnovit hoc alibi Cicero nimirum in Bruto , ubi dixit , Juris Civilis usum apud multos fuisse , artem in uno Servio Sulpicio : quod nunquam , (inquit) effecisset solius juris scientia , nisi eam præterea didicisset artem , quæ doceret rem universam distribuere in partes ; latentem explicare definiendo , obscuram explanare interpretando ; ambigua primum videre , deinde distinguere , postremo habere regulam , qua vera & falsa judicarentur , & quæ quibus positæ essent , quæque non essent consequentia.

2.) Cum

ris propositionis legitimam esse, in minore propositione adstruenda omnis meus consistet labor. Videndum ergo quid ad eam rite probandam postuletur. Is vero omnium sapientium Judicio laudem veræ Eloquentiæ obtinebit, qui sermone perspicuo, claro atque puro, argumentum, quod tractandum sibi sumsit, concinna & naturæ argumenti conveniente methodo explicat, probat, commendat, vel improbat & refellit, atque ad id præstandum utitur argumentis efficacissimis, ex ipsius materiæ, ut ita dicam, sinu depromtis. Aut vehementer fallor, aut hoc unum requiritur ad finem veræ Eloquentiæ obtinendum. (b) Videamus

2.) Cum vero hic quærat, quid præstandum sit omnibus, qui Eloquentiam veram sibi comparare volunt, nullo habito respectu eorum qui naturali quadam ingenii bonitate & excellenti judicio præditi sunt absque disciplinarum variarum cultura (quorum tamen numerus albis corvis rarior est), fateor me videre non posse, qua ratione quis genuini Oratoris laudem consequi, & de rebus maximi momenti rite differere possit sine accuratiore cognitione artis cogitandi. Dico genuini, nam non ignoro multos eam laudem apud plebem & rerum peritos sine hac arte obtinuisse, de quo tamen hic non disceptatur.

3.) Ad cognitionem veri vel falsi ante omnia requiritur ipsius argumenti, quod tractandum est accurata cognitio, quæ non ex logica, sed ex disciplinis, unde argumentum petatum est, haurienda. Logica tantum expendit utrum res in medium proposita ad veras ratiocinationis leges exacta sit nec ne; obtineri igitur potest multarum rerum cognitio sine Logica, sed utrum res prolata dignæ sint, quibus ad sensum præbeamus, docet artis cogitandi peritia.

(b) *Discrimen inter Schema Philosophicum & Oratorium, quod tamen essentialiale est, hic non observatur;*
prins

deamus jam quibus hic opus sit præsidiis, & comparebit, quam parum huc conferat decantata illa
 Artis

prius enim hoc unum intendit, ut intellectus purus convincatur; posterius vero totum sibi hominem vindicare adnititur.

Resp. Discrimen illud essenziale inter Orationem Philosophice vel Oratorum more tractandam non video. Quicquid enim Oratori præstandum est, ubi de argumento agitur quod aliis vel explicandum vel suadendum est, idem etiam faciendum esse puto ei, qui Philosophi partes tueri vult; non hic quæstio est de Metaphysicis vel Mathematicis, sed de veritatibus Theologicis, moralibus, aut Historicis, quæ capacitatem Lectorum vel Auditorum non superant. Pone v. gr. agi de commendanda aliqua virtute. Hic vero Philosophus & Orator idem præstare debent: nimirum tenentur accuratam illius virtutis exhibere ideam, characteres veros perspicue proponere, illius effectus, præstantiam, dignitatem & utilitatem commendare atque ita eam animis Auditorum insinuare. Utrumque igitur præstandum est Oratori, nimirum non solum debet more Philosophis recepto genuinam rei commendandæ indolem repræsentare, sed & gravissimis argumentis ad eam amplectendam inducere. Hoc vero præstari non posse crediderim, nisi notiones ex ipsius rei propositæ indole, natura & dignitate repetantur. Argumenta ab honesto, utili & jucundo petita nonnisi ex visceribus ut ita dicam rei satis cognitæ & probatæ eruenda,

Hic quaritur tantum, an non Rhetorica regulis suis Oratoris cognitionem circa rem, de qua dicendum est, juvare ac dirigere possit?

Resp. Ego vero Regulas Rhetoricas cognitionem rei, de qua rite differendum est nil juvare posse puto. Cognitionis rei, ex disciplinis, unde petitum est argumentum, haurienda: Ars Logica juxta accuratas methodi leges jubet argumentum disponere, stylus denique debet esse purus, perspicue elegans, & argumenti naturæ & dignitati attemperatus. Hæc si adsunt, omnia præsto esse puto, quæ ad argumentum rite tractandum postulantur.

Artis Rhetoricæ peritia. *Tria* duntaxat sunt mea opinione, quæ ad hoc obtinendum requiruntur. *Primum* est: Ut Orator, naturam & veram indolem argumenti, de quo differendum est, siue illud explicandum, probandum, & commendandum, siue repudiandum & dissuadendum sit; siue illud theologicum, vel philosophicum sit argumenti; siue ad Jus civile, naturale, vel ad historiam etiam pertineat, rite & accurate intelligat, omnia, quibus argumentum nititur fundamenta, totumque ejus complexum perspecta habeat; ut denique quibus materia sit obnoxia difficultatibus, & quantum ad eas dissipandas & tollendas adferri possit adjumenti pulchre sciat. Hoc primum & præcipuum est, quod ab erudito Oratore mea opinione postulatur, ita quidem ut hoc uno deficiente, cetera omnia, quæ accedere debent vana sint & parum profutura. Ex quo simul patet, eos, qui de rebus quibusvis garrere volunt, nunquam laudem veræ Eloquentiæ consecuturos. Quantum enim requiratur ad solidam & accuratam vel unius scientiæ cognitionem obtinendam, norunt omnes, qui quid scire sit, cognitum perspectumque habent. *Secundum* est: Ut puro, perspicuo & materiæ tractandæ apto, & accommodato stylo, rem ipsam proponat, itaque loquatur ut secundum monitum *Quintiliani*, Auditores, si modo rei intelligendæ capaces sint, non possint non eum intelligere. Quamvis enim stylo ipsi, quatenus complexu verborum & phrasium absolvitur, proprie loquendo nulla insit efficacia, ad argumentum vel probandum vel rejiciendum; haud parum tamen confert, ad Oratori conciliandam gratiam; imo ipsa argumenta ma-
jore

jore voluptate audiuntur , & admittuntur ab iis , qui idiomatis , quo utitur Orator , elegantiam callent. (c) Quicquid vero de eo sit , nihil magis promiscuæ turbæ , imo si verum fateri volumus , omnibus , quam oratio perspicuo sermone exposita , convenit. *Tertium* denique ad veri nominis Eloquentiam consequendam , & officio docti Oratoris defungendum hoc est ; ut quis non solum perspicuo sermone & argumentis ponderosissimis id , quod tractandum est , exponat , & probet ; sed & ut concinno ordine , juxta legitimas artis cogitandi regulas , quæ prolaturus est , disponat , & quid primo , quid secundo , & ita deinceps loco , ponendum sit sciat , argumentorum allatorum pondus per partes ostendat , abjectis omnibus , quæ ad rem probandam nihil faciunt ; servatis vero iis omnibus , quæ tractationis argumentum in clara possunt collocare luce. Ad hæc tria capita mea opinione referri debent omnia , quæ ad officium genuini Oratoris requiruntur. Unde igitur vera præsidia desumenda sint , quæ ad officium Oratoris explendum sufficiant ,

(c) *Σαφήνεια* oratoris præcipua dos est ; sed non unica : & majorem oratio admittit perfectionem salva perspicuitate.

Resp. Sola sermonis perspicuitate non absolvi Orationem facile concesserim : potest enim quis eleganter & perspicue loqui & tamen præposterus esse Orator : ubi enim deest legitima thematis tractatio , frustra in perspicuitate sermonis præsidium quæritur : majorem vero perfectionem accipit Oratio per accuratam tractationem argumenti , per legitimam argumentorum dispositionem , denique per styli non solum perspicuitatem , sed & puritatem , elegantiam , & themati convenientem usum.

ciant , nemini potest esse obscurum. *Primum* ni-
 mirum positum est in accuratiore *Idiomatis* , quo
 utendum est , cognitione , ad quam obtinendam ,
 ubi de linguis , quæ hodie in usu non sunt , ser-
 mo est , plura requiruntur , quam vulgo putatur.
Secundum ab hujus vel illius disciplinæ accuratio-
 re dependet notitia. *Tertium* præsidium ex ipsa
 cogitandi arte , regulisque , quas præscribit , de-
 sumendum est. Ex quo facile eruditus Lector col-
 liget , paucos dari numero veri nominis Orato-
 res ; vel enim plerique Thema , quod tractandum
 sibi sumunt , non exacte intelligunt ; vel stylo
 utuntur tam perplexo & obscuro , ut licet illud ,
 quod probandum fuerat , satis luculentis argu-
 mentis instruxerint ; ipsa tamen Orationis barba-
 rie & obscuritate Auditorum animos turbent
 & confundant : vel denique Artis ratiocinandi
 sunt imperiti , ordinem plane in ratiocinando
 negligunt , & præpostere aciem argumeto-
 rum instruunt. Ut jam non repetam , quod su-
 pra monui , nimirum ex dictis manifestum esse ,
 eos , qui de quibuscunque rebus , sæpe toto cælo
 a se invicem diversis , garrere tamen volunt , nun-
 quam posse a Viris doctis , & rerum peritis lau-
 dem hominum masculæ & genuinæ Eloquentiæ
 prædicatorum deportare. Paucis igitur duntaxat
 disciplinis cognoscendis inhærendum est , earumque
 præceptiones accuratissime sunt cognoscendæ.
 Unde etiam Cicero ipse mihi peccasse videtur , qui
 in scriptis suis de hoc argumento , ab Oratore
 plura postulavit , quam quæ in hominem cadere
 possunt , nimirum tantam rerum diversissimarum
 peritiam , quæ capacitatem ingenii humani meri-
 to superare videtur. Secum ergo quisque habita-

re debet, & quam præ ceteris excoluit discipli-
nam ad eam exornandam omnes ingenii nervos
intendere. Ex dictis insuper patet, Artem Rhe-
toricam his præsentibus præsidis, aut nihil pla-
ne, aut parum conferre ad veræ Eloquentiæ
indolem cognoscendam. Quid enim mihi rite de
materia aliqua verba facturo tandem profunt
loca Inventionis a Rhetoribus suppeditata, &
figuræ variæ Orationis, uti appellantur, *μὲν
πολλῆς φαντασίας* commendatæ? Sed de his com-
modior infra dicendi locus erit. Solent vero illi,
qui Arti Rhetoricæ multum tribuunt, provoca-
re ad mirabilem ejus vim; quam habeat non so-
lum in animos hominum, & in phantasiam, sed
& in ipsum corpus humanum.

Nosti in congressu nostro multa ad hoc proban-
dum, ex veteri & recentiore historia allata esse
exempla, & ad quotidianam provocatum fuisse
experientiam. Ego vero hæc non inficior, sed
lubens confiteor; at nego, hanc vim & efficaci-
am ad persuadendum oriri ex scientia Artis Rhe-
toricæ, sed potius ex triplici fonte indicato,
nimirum propositi argumenti indole & natura; sty-
li elegantia & proportionata materiæ dicendi rati-
one; ex dispositione denique & ordine argumen-
torum omnia esse repetenda. Ut autem hoc
melius constet, attendendum *primo* est, ad argu-
mentum ipsum, quod Orator tractandum sibi
sumit: 2.) ad naturam & diversitatem persuasi-
onis (3.) ad animorum indolem, diversosque ho-
minum status. Quod ad argumentum ipsum spe-
ctat, cujuscunque tandem illud naturæ sit, illud
vel probandum & insinuandum, vel improban-
dum

dum & dissuadendum est. Jam vero nonnisi argumentis Orator id præstare potest, & debet; & sine his concipi non potest, qua ratione veri nominis persuasio in animis hominum nasci possit. Hoc verum est, non solum ubi de veritate commendanda, vel errore refellendo agitur, sed etiam ubi affectus excitari debent vel comprimi. Argumenta vero, aut talia sunt, quæ sua luce radiant, ita ut omnes, qui materiæ sunt periti, non possint non illis adsensum præbere: aut sunt talia, quæ diversis, pro natura nimirum rerum, probabilitatis gradibus sunt instructa; aut denique necesse est Orationem falsis, aut nihil probantibus suffultam esse argumentis. Si Oratio tam claris atque solidis est instructa rationibus, ut Lectores vel Auditores rerum propositarum gnari, ad argumenta duntaxat, rei quæ propositæ naturam attendant, non potest non assensus in animis oriri. Quod si his accedant styli puritas & pulchritudo, apta item argumentorum dispositio, animi magis redduntur attenti, ad argumenta placide audienda, & rite trutinanda. (d) Sed veram

E 2

persua-

(d) Si vel hoc unum præstet Ars Oratoria, ut ostendat rationem, qua Orator attentionem sibi conciliare possit, sine qua assensus seu persuasio nulla datur, certe disciplina erit nullo modo contemnenda. At hoc ipsum præstat Rhetorica, quæ docet quomodo coerceri possint omnia quæ attentioni ad argumenta philosophica officiant:

Resp. Attentionem promovet rerum ipsarum, si modo aliqua ex parte de ea persuasus est Auditor, gravitas, iusto argumentorum pondere subnixa: simplex & secundum
regulas

persuasionem sola possunt efficere argumenta. Ita licet Mathematicus, propositionem aliquam geometricam demonstraturus, uteretur stylo barbaro, convinceret tamen hominem artis gnarum, quia ea est hujus disciplinæ natura, ut non possit non intelligenti extorquere adsensum. Veram etiam persuasionem parit Oratio pluribus aut minoribus probabilitatis gradibus instructa: quando enim argumentum ipsum ita est comparatum, ut ad evidentiam geometricam evehi non possit, v. g. in enarratione historica, adquiescendum est in ratio-

regulas Logicæ institutus rerum dicendarum ordo: stylus denique purus, perspicuus & rei dignitati conveniens. Si hæc non excitant attentionem in Auditorum animis, frustra ad vulgarem Rhetoricam, ad tropos varios & figuras confugas. Hæ enim ad obtinendum attentionem id est sedulam rerum prolatarum collationem nihil faciunt, imo ut plurimum attentioni officiant. Plebecula quidem & qui huic similes sunt, in oratione variis figuris & tropis vestita stupet, per tempus percellitur, eoque nomine Oratorem in cælos tollit laudibus, at talem attentionem, quæ ad veri investigationem viam sternat, in animis excitare non valet. Sapientes vero ab Oratore postulant solida argumenta, ponderosa incitamenta, ordinem, & stylum naturæ thematis convenientem. Nosti ipsemet quod frigus nos occupet ubi audimus Oratorem his præfidiis destitutum. Sine ope igitur vulgaris Rhetoricæ Auditorum attentionem sibi conciliat Orator, si in dicendo valet; si rerum proponendarum probe est gnarus; si Auditorum capacitatem ingenii perspectam habet; si in philosophia morali, quæ originem, & naturam affectuum, eosque moderandi artem docet, est versatus; si præstantissimorum Oratorum libros evolvit, & familiariter viris utitur sapientibus. Quod si his accedant, vox amœna, corporis & faciei decor, gestuum concinnitas, eruditionis apparatus &c. attentio augetur. Sed solida persuasio semper argumentorum & incitamentorum pondere est innixa.

rationibus probabilibus ; quo plures sunt numero , vel pauciores , eo major vel minor erit adensus , atque adeo etiam persuasio vel fortior vel debilior. Sed ponimus semper Auditorem vel Lectorem ad argumenta attendere , tantumque habere capacitatis , ut vim argumentorum magis vel minus probabilium sentire & dijudicare possit. Vel denique oratio ita est comparata , ut nullis , vel ineptis saltem rationibus sit superstructa , meroque verborum strepitu & sesquipedalibus verbis constet , tum fieri non posse assero , ut in animis legentium vel audientium exoriatur *veri nominis* persuasio. Objicies ; experientia omnium seculorum tamen constare , Orationem solidis argumentis , iisque evidentissimis , aut maxime probabilibus instructam , nullam tamen sæpe vel exiguam in animos vim habere ; contra vero histrionem & thraſonem , nonnisi ampullis verborum utentem , hominibus sæpe adensum extorquere. Antequam vero directe ad hæc respondeam , causasque hujus vitii humani detegam , *secundo loco* ad distinctionem veræ & legitimæ persuasionis est attendendum. *Legitima* est , quæ oritur ex attempta idearum collatione nexusque , qui inter propositiones intercedit ; ita ut Lector , vel Auditor , si modo linguæ , qua utitur Orator , peritus sit , licet ipsa oratio puritate & elegantia destituatur , sensum tamen rerum propositarum non solum intelligat , sed & verbis exponere possit. Ita quando quis intelligit , quid sit virtus & officium , facile videbit , inter obligationem ad virtutem exercendam naturalem esse connexionem , atque ita etiam persuasio erit *legitima*. *Falsi vero nominis persuasio* est , quando homines argumentum ipsum

non intelligunt , aut valde imperfecte ; si in vocibus stupent ; si vires animi ad res rite intelligendas non intendunt ; si artis ratiocinandi sunt imperiti , & tamen in rebus vel ignotis plane , aut parum perspectis , merisque verborum sonis adquiescunt , seque credere existimant , quod tamen exponere verbis interrogati non possunt , cum res expendere vel non valuerint vel noluerint. Atque hæc mala gignit falsi nominis Eloquentia. Dumdum hoc notavit doctissimus *Parrhasianorum Auctor*. pag. 87. ita inter alia loquitur : *Le premier défaut c'est que ceux qui se laissent toucher , par la multitude des paroles , par de mauvaises raisons ou par des pensées , qui ne font rien au sujet , sont bien étourdis par le bruit des paroles & par le grand nombre des pensées : mais ils n'entendent rien dans la matière. Encore qu'ils s'imaginent avoir beaucoup profité dans les discours de cette nature , qu'ils ont ouïs ou qu'ils ont lûs : ils ne sauroient dire ce qu'ils renferment ni le réduire a certains chefs clairs & suivis. Tout est confus , tout est renversé dans leur esprit ; & comme la liaison & l'ordre servent infiniment à la mémoire qui se trouble & s'efface sans leurs secours , ces gens - là ont bientôt oublié ce qu'ils avoient lu ou ce qu'ils avoient ouï dire.* Perpenso hoc , inter legitimam & falsam persuasionem discrimine , facile erit , ad objectionem tuam respondere. Verum est , multos rationibus evidentissimis & certis non persuaderi , at non quæritur quid argumenta optima etiam , in horum vel illorum hominum animos valeant , vel non valeant , sed quid natura sua valere deberent. (e) Certe si a rationibus & argu-

mentis

(e) Omnino vero attendendum est ais non quid demonstratio philosophica sua natura valere debeat ; sed quid valeat

mentis discedas , nihil est , quod veram persuasi-
onem in animis excitare possit. Facile autem hu-
jus rei satis perspicuæ possunt reddi rationes. Ni-
mirum multi homines argumentis solidissimis non

E 4

mo.

*valeat apud majorem hominum partem. Plurimum enim
interest , ut non tantum pauci quidam philosophi , sed
ut maxima hominum pars de his vel illis veritatibus sit
persuasa : si persuasio hæc ob plerorumque imbecillitatem
& incapacitatem per demonstrationis evidentiam non pos-
sit obtineri ; quæritur an non alia detur ratio persuaden-
di , qua possit obtineri , quod per demonstrationem nul-
lo modo potest ?*

Resp. (I.) Cum grano salis sumenda esse puto verba
tua , quando contendis attendendum esse non quid philoso-
phica demonstratio sua natura valeat , sed quid valeat apud
majorem hominum partem : hoc enim si in universum ve-
rum esset , præstantissima pars artis dicendi , quæ argumen-
torum & incitamentorum gravitate & pondere absolvitur ,
periret. Quis enim nescit majorem hominum partem in
verbis stupere , semifanaticum hominem pro insigni Ora-
tore habere , levissimis ratiunculis & similitudinibus am-
pullatisque verbis commoveri , res ipsas aut plane non aut
obscure intelligere , ad argumentorum vim non attendere ,
aut denique affectuum æstu præpediri quominus res ab
Oratore prolatas ad animos velint revocare. Ad horum ,
repeto , gustum si attemperanda sit Oratio actum mihi esse
videtur cum Rhetorica etiam a Viro præstantissimo scripta.

II.) Quando agitur de demonstratione philosophica no-
bis non est sermo de demonstratione vel metaphysica vel
mathematica , quæ plerorumque Auditorum vel Lectorum
capacitatem superat , sed de demonstratione morali , ad
quam intelligendam tenentur omnes , quotquot vel reli-
gionis vel communium omnibus hominibus officiorum co-
gnoscendorum capaces sunt : Hæcque demonstratio nititur
vel evidentibus vel probabilibus rationibus , quas ita com-
paratas

ventur, aut quia naturam argumenti intelligere non possunt, aut quia nolunt. Multos ingenii imbecillitas præpedit, quo minus gravissimæ rationes vim aliquam in eorum animis exerant: multi artis ratiocinandi & meditandi sunt imperiti: alii in verborum variarumque figurarum conglomeratione stupent. Quid mirum assensum hujus generis hominibus non extorquere vel solidissima etiam argumenta. Alii vero nolunt argumentis cedere, quia ob ingenii volubilitatem res expendere non solent, rapiditate quadam ab uno objecto ad aliud contemplandum tracti. Aliis obstant pravi affectus. Centies argumentare adversus avaritiam, lasciviam &c. ne tantillum quidem movebis hominem his vitiis deditum. Ab altera parte possunt homines ad aliquam persuasionem, sed putatitiam & vanam, adduci, variis rationibus. Sæpe in vultu, gestuque Oratoris aliquid reperiunt, quod verbis pondus addere videtur. Hinc & muti & mimi ad adfensionem homines invitant; alium ubi deficiunt argumenta, affectus rapiunt. Multos

paratas esse putamus, ut ab omnibus attentis nec plane stupidis possint intelligi.

(III.) Persuasionem, quæ ex morali demonstratione oriri debet, obtinere potest Orator, si materiam disserendi sumat omnium ingeniis attemperatam; si utatur argumentis perspicuis & capto facilibus; si in stylo omnem obscuritatem, æquivocationes, lusus verborum & affectatam sublimitatem evitare omni cura studet. Et profecto omnes, qui ad dicendum vel de religionis vel communium officiorum negotiis sese accingunt, necessario ante omnia credere & sibi persuadere debent, homines ad argumenta & incitamenta probe attendentes vim veritatis prolatæ percipere posse. Hoc enim nisi ponas frustraneæ erunt omnes Orationes.

Multos fama Eruditionis vel pietatis, quæ Oratori inesse dicitur, ad adsensum impellit, qui vero interrogati de rationibus ex ipsius materiæ indole desumptis pisce mage muti essent futuri. Quidam ad superstitionem inclinant, aliis, quicquid dicitur argumenti loco est. Plebs, & qui ei similes sunt, Orationem nullis solidis argumentis instructam, nulla sermonis elegantia vestitam, nullo denique ordine & artificio munitam, mirantur tamen, & laudant: imo sæpe, quo minus argumentum intelligunt, eo magis laudant.

Atque hoc ipsum nos ad *tertium*, quod hoc in argumento observandum esse diximus, ducit, nimirum ad diversitatem ingeniorum humanorum, diversosque status, in quibus positi sunt. Solis proprie loquendo rationibus Vir sapiens ad aliquid vel probandum vel rejiciendum adduci debet. At multum in animos hominum valent, variæ opiniones, consuetudo, præjudicia, temperamenta, affectus, v. gr. ira, metus, amor, mœstitia; circumstantiæ morales, necessitas, paupertas, servitus; imo corpus ipsum, vox & gestus loquentium, pulchritudo faciei, vel ejus fœditas, Oratio lachrymis mista, certa phantasiæ mistura, corporis κακότης vel εὐεχία & alia plura, ad ita vel aliter sentiendum vel agendum impellunt. Hæc vero omnia veri nominis persuasio, nem efficere non possunt, nisi forte dicas, fabulas & historiolas, quas ad balbutientes pupulos habere solent loquaces mulierculæ & anus quibus frangendus misere gingiva panis inermi, continere solida argumenta, quibus non possint non infantes ad assensum commoveri & ita demul-

ceri. (f) Hoc posito dicendum, quemlibet etiam ineptissimum sermonem persuasionem tamen solidam generare posse; quo ipso non solum detraheretur nobilissimis disciplinis & rationibus gravissimis sua vis & efficacia; sed & veræ Eloquentiæ studium vanum plane esset & inutile. Utrum Orationes, quæ apud *Livium*, *Curium*, *Sallustium* aliosque extant, quæque a Ducibus bellorum habitæ dicuntur, genuinæ sint, nec ne, non disquiram. Ponam ita esse: Num vero putas, milites ad fortiter pugnandum argumentis solis a Ducibus habitis inductos; eaque argumenta tam solida fuisse

(f) *Ars Oratoria hominem & convincentibus & persuadentibus argumentis conjunctim aggreditur, ejusque obstinatum etiam animum plerumque expugnat: non ergo hæc invicem in hac disputatione videntur esse opponenda.*

Resp. Non nego convincentia argumenta persuadentibus esse adjicienda: Sed hoc intendo in convincentibus præcipuam esse ponendam vim ad hominem sanæ mentis convincendum. Præter enim argumenta nihil reliquum est, quod veri nominis persuasionem gignat. Ipsa argumenta persuadentia, vi nominis, rationibus debent esse innixa, ex ipsius argumenti natura petitis: aut enim dicendum homines persuaderi & vere quidem solo verborum tinnitu & strepitu; aut argumentis per verba repræsentatis; prius cum falsum sit, necesse est, ut non solum argumentum ipsum, quod proponendum & commendandum sibi sumit Orator, Auditori rite sit perspectum, sed & ut animus ad veritatem vel virtutem amplectendam valde commoveatur: Hoc autem fieri non potest nisi argumentis & incitamentis aliquod insit pondus; unde manifestum mihi esse videtur, siue ea voces argumenta convincentia vel persuadentia, ad majorem vel minorem vim, quæ argumentis inesse debet, omnia redire.

se , ut iis serio expensis demum , ad praelium animose ineundum fuerint commoti ? non putarim. (g) Alius propter metum pænæ , alius ob ferociam

(g) *Orationes illæ moratæ Ducum & Imperatorum apud Historicos Veteres , quin aptæ fuerint ad animum militum acuendum & confirmandum , dubium mihi nullum est: ipsa enim argumenta , quæ hic recensentur , arte quadam ita vivide ac evidenter oculis subiciebant , ut non potuerint non vim illorum persuadendi sentire. v. gr. cum singulare aliquod cæli tempestatisque phenomenon tanquam certum victoriæ prodigium , omenque callide interpretantur.*

Resp. Exemplum , quod adducitur ad demonstrandum , quantum hæ Orationes Ducum Belli valeant in animos hominum satis mihi significare videtur , quid de pretio earum sit judicandum. Nimirum tota illa persuasionis vis in eo est posita , quod ineptis & falsissimis , quibus vulgus imbutum est , opinionibus utantur , ad finem quem intendunt , qualitercunque obtinendum. At num hic genuini Oratoris , qui vir bonus esse debet , character est ? Itane licet , quibuslibet ratiunculis in quocunque casu uti ad alios lucrandos ? Quis non stante hac opinione Rhetoricam artem tanquam deceptricem averfaretur ? Hoc si semel conceditur , cuilibet permissum est , ridiculas & ineptas rationes adducere , ut in suam alios pertrahat sententiam. Profecto homines callidi , licet nullam unquam per vitam didicerint artem rhetoricam pulchre hanc artem exercere norunt. Ita licitum erit Monacho , futillissimis & ementitis legendis & fabulis uti ad Auditores suos persuadendos. Vulgus enim omnia credit , licet nulla adsit legitima persuasionis ratio. Interim sapientiores has fabulas multis verborum strophis exornatas albis rideant dentibus. Secundum allatum exemplum licebit Oratori sacro ad terrendos rusticorum , qui limites agrorum mutare aggrediuntur , animos , hoc argumento uti , tales nimirum , qui sese tam gravi crimine obstricturi essent ,
post

ferociam & iram, alius ob egestatem, alius ob necessitatem circumstantiarum pugnare debet, fuga lubens, si posset, suæ salutis consulturus, alius opimam sibi promittit prædam &c. Et quomodo tandem fieri posset, ut hæ Ducum orationes, veram solidamque in animis militum excitare possent persuasionem, cum manifestum sit, eas falsis & fictis ut plurimum esse superstructas argumentis. Ea enim potissimum afferunt, quæ metum licet sine causa, ex animis excutere possunt, cætera omnia vero alto premunt silentio. Dudum hoc notarunt Viri doctissimi & in hoc argumento versatissimi. *Eruditissimus Clericus Artis Criticæ part. II. Sect. I. cap. XVI. pag. m. 319.* sequentem in modum de hac re pronuntiat: *Si quaeramus rationem (inquit) ob quam figuris ita adficimur, comperiemus, eam ejusmodi esse, ut obscuritatem necessario*

post mortem in ignes lambentes, vel uti appellantur, capras saltantes mutatum iri, & per omne ævum agris inerraturos esse. Ponamus vero Livium & plures Ei similes, qui portentis illis exiguum statuebant pretium, ut ex historia ipsius patet, quique a *Δεισιδαιμονία* alienus plane erat, prouti, pessimo licet fine, id ostendit Tolandus, ponamus inquam plures in Exercitu fuisse Livio similes, num credibile est, Eos ob rationem adductam se passuros fuisse induci ad strenue pugnandum? pugnandum equidem erat sive volentibus sive nolentibus, cum propter alias rationes, tum ne viderentur in patriam peccare religionem. Sed non opus est ut pluribus de hisce agamus, quandoquidem leges circa Orationes Ducum pro circumstantiarum diversarum ratione mirum in modum variant. Neque si falsis aliquando argumentis Imperatores usi sunt, mirum est. Veteres enim Oratores veri in dicendo & persuadendo exiguum habuerunt rationem. Ipse dicendi Magister Quintilianus passim hoc ipsum fatetur. Vide Lib. IV. Institut. cap. V. Lib. V. cap. 14.

sario pariat. *Figurae tantam vim argumento, quod iis exornatur, addunt, quia audienti, aut legenti eam tantum ejus partem ostendunt, quæ est omnium aptissima ad eum commovendum; amotis iis omnibus, aut potius tectis, quæ commotionem illam sistere possent. Si miles sit ad pugnam cohortandus, alto silentio premuntur horror mortis, qui natura omnibus inest, summa cautio, quæ debet adhiberi, ubi de effundendo sanguine humano agitur, aliaque, quæ Viro sapienti tunc serio pensitanda essent: Ab infaustis ejusmodi vocibus abstinetur. Gloria militi proponitur e victoria colligenda, divitiæ e spoliis colligendæ, præmia, honores, &c. quibus fit, ut a prioribus illis animum avertat, & in hæc intentus, alacris, rem per se omnium fœdissimam, deterrimi carnificis munus obire in Innocentes aggrediatur. Exemplo esse potest Oratio Cacinæ apud Tacitum Ann. Lib. I. Cap. 64. ubi territis militibus, difficultate itinerum, adverso prælio, jactura impedimentorum, metu imminentis hostis, ostendit, unam esse in armis salutem, manendum intra vallum, dein erumpendum, illa eruptione ad Rhenum perveniri: quod si fugerent, plures silvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse? At victoribus decus, gloriam, quæ domicara, quæ in castris honesta. Subdit Tacitus eum reticuisse de adversis, aut præsentibus, aut futuris; ne nempe terror augetetur imagine præteritæ Cladis, similisque in futurum timeretur. Ita Cl. Clericus. Sed inquis, fortiter tamen ut plurimum, auditis his Orationibus pugnarunt. Ita est: At quot prælia olim gesta sunt, & hodie fiunt, ad quæ ineunda, nullis Ducum orationibus sunt commoti & incitati? & tamen iidem milites animose pugnarunt, vel potius nolentes volentes hostibus resistere, debuerunt, vitamque, quantum potuerunt, tuiti sunt.*

Sæpe

Sæpe & Duces belli & milites, antequam in aciem prodeunt, sciunt & quidem probe, bellum, quod gerunt injustum esse; Sed quia ut plurimum justum & injustum perinde habent, quia ob metum & necessitatem fugere non possunt, quia hac, non alia via, commode sibi victum & amictum parare se posse sibi persuadent, vel prædæ opimæ inhiant &c. Signo ad pugnam semel dato, ad prælium ineundum animose concurrunt. Num autem putas milites propterea existimare, legitimas plane ob causas, tam acriter fuisse dimicandum? num persuasio in ejusdem hominis animo potest simul esse solida & inepta simul, nullis quippe rationibus superstructa? Quod si quis propterea, quod homines ineptis rationibus, & inani verborum strepitu, sæpe commoveantur, colligere vellet, omnibus rationibus, sive solidis, sive infirmis, parem inesse efficaciam, is merito ab omnibus sani cerebri hominibus derideretur. Unde patet, distinctionem merito faciendam esse, inter veri nominis persuasionem & inter putatitiam. Meminisse etiam debes optime *Candide*, genuinam Eloquentiam veræ Eruditionis duntaxat fructum esse, sola vero Eruditio, & accurata thematis alicujus cognitio, suppeditant argumenta, quæ ex natura materiæ pertractandæ necessario fluunt. Inde tandem nascitur vera illa persuasio, lux illa splendida in animis hominum. Cætera parum ponderis habent ad assensum Viro perspicaci extorquendum. Quod ad affectus attinet, non nego iis admodum homines ad ita vel aliter agendum commoveri: propterea etiam Oratoris officium est, discere, qua ratione eos concitare & compescere possit; Sed id demum tum faciendum est, postquam argumen-

gumentum ipsum rite est explicatum, & solidis rationibus probatum; Ita enim spem potest habere, Orator, incitamenta, in mentes, luce veritatis collustratas vim suam exercituras. *At hoc* (utor verbis *Celeberrimi Werenfelsii*, qui quid Oratori præstandum sit, pulchre calluit, & exemplo suo demonstravit) *affectus concitandi compescendique artificium non is optime callet, qui in Rhetoricæ præceptis addiscendis consenuit, sed qui se ipsum primo, deinde alios homines cum perspicaci attentione, tum diuturna experientia, quam fieri potest penitissime cognoscere didicit.* (h) Verissimum est illud *Solonis* vetus dictum *τον λογον ειδωλον ειναι των εργων*, sermonem imaginem esse factorum. Et illud *Platonis*: *Οιος ο λογος, τοιος ο τροπος*. Qualis Oratio, talis vita. Eum in finem, qui cum laude Oratoris munere defungi,

(h) *Hoc ipsum genuinum artis rhetoricæ Systema explicare debet, atque quibus rationibus affectus hi vel illi commoveri, quibus compesci possint.* Vulgares Rhetoricæ hoc non docent, & si quid tale tradunt aliunde petita sunt. Ad hoc obtinendum mores hominum probe sunt cognoscendi, affectuum origo & indoles ex latifundiis Philosophiæ sunt haurienda; versandum cum Viris sapientibus & in dicendo plurimum valentibus; evolvendi præstantissimorum Virorum libri, qui exemplis & oratione facunda usi, res maximi momenti non sine usu tractarunt. Parum vero valent hominum in umbra natorum steriles artis rhetoricæ præceptiunculæ. Hæc vero, quæ hætenus in medium attuli, quo loco sint habenda Tibi mi Candide & litteratæ Amicorum turbæ dijudicanda lubens permitto. Cæterum ego non nego licitum aliquando esse vel uni vel pluribus ubi necessitas postulat ficta Oratione uti. De quo pluribus agunt *Juris Naturæ Interpretes*, ubi officia sermocinantium explicant, At ars rhetorica de his nullas tradit regulas.

defungi, & aliorum hominum animos Oratione flectere vult, in se ante omnia descendere debet, animum suum, & temperamentum cognoscere, quibusve rationibus & incitamentis, affectus sui excitentur, vel compescantur dispicere debet; tum vero hæc transferre debet ad alios homines. Quidam affectus omnibus hominibus sunt communes, alii quibusdam privi conf. Excell. Pope *Tentaminis de homine Epistol.* II. Ex hætenus dictis simul manifestum est, ad veram illam Eloquentiam obtinendam nihil aut parum conferre, ita dictam artem rhetoricam. Quid enim ad rite disserendum de argumento gravi me adjuvant loci illi topici de *notatione, causa efficiente, forma, materia & fine*? An non cognitio idiomatis, & accurata thematis pertractandi notitia, sufficit? quid illa anxia præcepta de inventionem thematum? de figuris dictionis ac sententiarum? Ipse affectus perorantem docebit, quibus potissimum verbis sensa animi exprimere debeat. Figuræ istæ, instar terminorum technicorum sunt, qui addisci possunt sine arte rhetorica. Inter recentissimos artis rhetoricæ Doctores referendus est Cl. G. C. Myllerus. Hic vero ita loquitur de figuris rhetoricis in der Weisheit des Redners systematisch entworfen pag. 101. Vielleicht, sagt er, dürfften diejenigen von uns eine besondere Abhandlung von den Figuren fordern, die sich ihrer alten Rethorischen Schul-Erkänntnuß erinnern. Doch wir sprechen uns von einer solchen Pflicht los, die in Erzählung vieler Mahmen besteht, und dennoch die Absicht, anderen die figurliche Sprache beizubringen, nicht erreichen hilft, vorzüglich sind die Figuren die Sprache des Affectis. Dieses wird einen jeden die eigene

eigene Natur besser als die Kunst lehren. Wann ja die Benennungen der Figuren noch einigen Nutzen haben: so äußert sich dieser in der Beurtheilung der Sprache einer Leidenschaft, daß man solche sich namentlich bezeichnen kan. Imo frequens usus harum figurarum argumentorum vim intercipit, efficitque, ut in verbis, eorumque varia combinatione homines stupeant. Figuratae illae orationes effectus sunt imaginationis. Hæc autem facillime Oratorem a genuinæ Eloquentiæ regulis abducit, nec cujusvis est eam coërcere limitibus. Eleganter hoc expressit Celeb. Barbeyracius in præfatione tomo Sermonum Illustr. Tillotsonii præmissa: Pour peu (inquit) qu'on lâche la bride à l'imagination, elle ne manque d'égaliser le Jugement. C'est un Cheval fougueux, mais ombrageux ou aveugle: Si l'on n'a la main bien ferme & perpetuellement attachée à regler ses pas, il ne peut que nous mener à travers champs, & nous faire broncher lourdement ou nous jeter dans le précipice. Les Erreurs les plus grossières, les pensées les plus absurdes, les raisonnements le plus frivoles, se glissent aisément à la faveur d'une figure hardie, d'une description pompeuse, d'un assemblage d'expressions metaphoriques & de tours ingénieux, d'une periode bien cadencée. Au lieu que, si les choses paroissent dans leur état naturel & depouillées des ornemens étrangers, tout ce faux éclat s'évanouissant leur difformité ne pourroit être cachée. Le caractère de la verité c'est une aimable simplicité: comme elle n'a besoin que d'elle-même pour s'insinuer dans les Esprits, elle ne demande que les ornemens naturels, qui lui conviennent, & qui la laissent voir clairement

telle qu'elle est. Ce qu'elle a de plus noble & de plus grand , est toujours fort éloigné de l'Enflure. Quæ hucusque de veræ Eloquentiæ indole & artis rhetoricæ exiguo usu dixi , confirmabo testimonio viri qui accuratissime leges & ratiocinandi & loquendi perspectas habuit. Is est Ill. Lokius qui de *Intellectu humano* Lib. III. Cap. X. pag. 641. & seq. Edit. Basil. ita differit : Comme ce , qu'on appelle esprit & imagination est mieux reçu dans le monde , que la connoissance réelle , & la verité toute sèche , on aura de la peine a regarder les termes figurés & les allusions comme une imperfection & un véritable abus du Langage. J'avouë , que dans des discours , ou nous cherchons plutôt a plaire , & a divertir , qu'a instruire & perfectionner le jugement , on ne peut guere passer pour fautes ces sortes d'ornemens , qu'on emprunte des figures. Mais si nous voulons représenter les choses comme elles sont , il faut reconnoître , qu'excepté l'ordre & la netteté , tout l'art de la Rhetorique , toutes ces applications artificielles & figures , qu'on fait des mots , suivant les regles que l'Eloquence a inventées , ne servent a autre chose , qu'a insinuer de fausses idées dans l'Esprit , qu'a émouvoir les passions & à séduire par là le Jugement , de sorte , que ce sont en effet de parfaites supercheries. Et par conséquent l'art l'Oratoire a beau faire recevoir ou même admirer tout ces differents traits , il est hors de doute , qu'il faut les éviter absolument dans tous les discours , qui sont destinés a l'instruction , & l'on ne peut les regarder , que comme des grands défauts ou dans le Langage , ou dans la personne qui s'en sert par tout , ou la verité est interessée. Il seroit inutile de dire ici quels sont ces tours d'éloquence & de combien des especes différentes il y en a : Les livres de Rhetorique dont le Monde est abondamment pourvu en informen-

formeront ceux, qui l'ignorent. Une seule chose que je ne puis m'empêcher de remarquer, c'est combien les hommes prennent peu de soin & d'intérêt à la conservation & à l'avancement de la vérité, puisque c'est à ces Arts fallacieux qu'on donne le premier rang & les récompenses. Il est dit je, bien visible, que les hommes aiment beaucoup à tromper & à être trompés, puisque la Rhétorique, ce puissant instrument des erreurs & de fourberie à ses Professeurs gagés, qu'elle est enseignée publiquement, & qu'elle a toujours été en grande réputation dans le Monde. Cela est si vrai, que je ne doute pas que ce que je viens de dire ne soit regardé comme l'effet d'une extrême audace, pour ne pas dire d'une brutalité sans Exemple. Car l'Eloquence, semblable au beaux Sexe, a des charmes trop puissans pour qu'on puisse être admis à parler contre elle: & c'est en vain qu'on decouvriroit les défauts de certains arts décevans par lesquels les hommes prennent plaisir à être tromper. Ita celebris ille Philosophus. Hinc videmus etiam, Adolescentes, licet totam artem rhetoricam sæpe memoriae mandarint, ubi de argumento aliquo rite differere deberent, hæerere, & frustra auxilium a Rhetorica petere. Ratio est in promptu; aut enim capaces non sunt styli, seu artis pure, nitide, & perspicue loquendi; aut superficialiam habent argumenti, quod tractandum esset, cognitionem; vel denique artem cogitandi & justas methodi leges ignorant. Hinc ejusmodi Orationes plerumque vel ab ipsis artis rhetoricæ Professoribus, aut ab amicis, componuntur. Vel si ipsi Adolescentes animos ad scribendum appellunt, omnia offendes tam obscura, tam male cohærentia, & tam parum valentibus argumentis instructa, ut frustra sese torfisse bonos homines facile advertas. Supra dixi,

dixi, Eloquentiam veræ duntaxat Eruditionis fructum esse. Hinc mea opinione sequitur, demum adultiore ætate Adolescentes ad habendas Orationes induci debere; certe eo demum tempore, quo artem illos logicam probe didicisse, & argumentum, de quo dicendum est rite intelligere non sine ratione persuasi esse possumus: Quod postremum ex privatis colloquiis facile Professori constare potest. Patet etiam exinde, ridicule agere quosdam artis rhetoricæ Magistros, qui discipulis talia præscribunt themata stylo prosequenda, quæ plane illis ignota aut parum cognita sunt. Ita memini, olim Studioso quindecenni impositam fuisse necessitatem Orationem habendi de *Essais*, quorum ne quidem nomen audiverat Adolescens, nedum ut de eorum origine, dogmatibus & ritibus rite verba facere posset. Manifestum insuper ex iis, quæ dixi est, rarissimos esse veri nominis Oratores. Non is ego sum, qui celeberrimis Græciæ & Latii, ut de multis Recentioribus nil dicam, hærentem capiti multa cum laude coronam detrahere vel velim vel possim: at, ubi cogito, quam exiguam curam Veteres artis cogitandi habuerint, quam vero toti fuerint in Dialectica excolenda occupati, existimare incipio, illorum Eloquentiam supra modum laudibus fuisse erectam. Notum enim est, illorum Dialecticam in eo constituisse, ut nimirum de quovis argumento, nulla habita veritatis ratione, utramque in partem dissererent. Imo quidam, eo usque sunt progressi, ut aperte falsis argumentis uti Rhetori concessum esse dicerent. Docebant, ut *Titius Castratius* teste *Gellio Lib. I. Cap. IV. Rhetori concessum esse, sententiis uti falsis, subdolis, captiosis; Si modo verisimiles sint,*

sint, & possint ad movendos hominum animos qualicumque astu irrequere. Propterea turpe esse dicebat, si quid in mala causa destitutum, atque impugnatum relinquat. Vide pluribus de hoc argumento agentem Cl. Clericum *Artis Criticae* cap. XVII. part. II. Sect. I. cui adde *Ingeniosissimi Luciani libellum de praeceptis Rhetorum*. Hæc mea est L. Candide de usu artis Rhetoricæ sententia. Si errasse me putas, hoc unum restat ut me meliora edoceas. Antequam finem impono huic epistolæ, duo Veterum Græcorum, (quoniam te lectione eorum capi scio) loca, de hoc argumento adscribam. Prius est *Mysonis* apud D. Laërtium. Hic pag. m. 96. ita loquitur. Δει μὴ ἐκ τῶν λόγων τὰ πραγματά, ἀλλ' ἐκ τῶν πραγμάτων τὰς λόγους ζητεῖν; ὃ γὰρ ἐνεκα τῶν λόγων τὰ πραγματά συνελθῆναι, ἀλλ' ἐνεκα τῶν πραγμάτων ὁ λόγος. Posterius e fragmento incerti Poetæ, quod *Illustris & Magnus Grotius* in excerptis e Poetis Tragicis & Comicis pag. 461. adduxit petatum. Verba ita sonant: Ω παῖ γενοῖν' ἂν καὶ λεγόμενοι ἐν λόγοις ψευδεῖς. ἔπων δὲ καλλέσιν νικῶμεν ἂν τ' ἀληθεῖς. ἀλλ' ὃ τέλο' ἰκριβεσθῶν ἀλλ' ἢ φύσις, καὶ τ' ἐρθὼν ὅς δ' ἐυλωσσιαν ἀσκεῖ σοφὸς μὲν: ἀλλ' ἐγὼ τὰ πραγματά κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεὶ πόλλ'. i. e. O Nate sæpe polita Oratio est falsa. Blandis interim verum dolis exsuperat: at non ideo res hæc optima est, sed indoles virtusque. Qui lingua valet doctum fatebor: sed tamen verbis ego res antehabendas & putavi & nunc puto. Ita Vale mi Candide, & porro mihi fave.